

Volatilia ab effectu describimus, quod sint
 quæ sublimari possunt, abeuntq; in auras, &
 separantur ex rebus plerisq;. Peculiare ve-
 rò hoc habent Salia volatilia animalium, ut
 propter Urinæ odorem quem spirant Urinosa
 dicantur, qualia tamen & plurimis riperi-
 untur in plantis, & quod manifestò ex ca-
 parum destillatione, ligni vitis incineratio-
 ne patet.

Mechanicâ arte constat innotuitq; hoc
 maxime Angliæ Curiosis, plerisq; plantarum
 tale aliquid Urinosi se adungere.

Hinc fuligines cum Acido Salis in Sal Am-
 moniacum abeunt; Sal Tartari fixum Aeris
 ope, quamvis paucâ quantitate in tale ali-
 quod Sal volatile Urinosum mutatur. Hoc
 tamen plantarum Volatilibus salibus manet
 proprium, ut Crasin concreti sapore saltem
 referant, hincq; Sal volatile Absynthij ama-
 rum est, qui sapor in Alcalisatis seu fixis a-
 boletur.

Mediæ Consistentiæ dicuntur Alcalia
 quæ ad eò volatilia non sunt, neq; tamen fixa
 penitus sed inter ea, medium quasi locum
 obtinent. Ut plurimum verò ex succis vege-
 tabilium separantur; unde cum in succis il-